



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XVII. V. sint etiam circumstantiae peccatoru[m] necessariò confitendae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**



duntaxat tempus consuetudinis, intelligendum est, dum peccatorum numerus modum excedit, vt percenseri cuncta nequeat: Alioqui consultius est, numerum explicare. Dum modum, inquam, excedit; vt dum quis assidua consuetudine iurandi distractus, nequit periuriorum numerum inire. Aut concubinarius, qui perinde ac maritus, concubinæ amplexibus fruitur.

Cæterum si post temporis, quo in peccando perseverauit, fortè peculiaris alicuius obrepat recordatio; non tenetur illud iteratò confiteri: Sufficit enim, in genere illud comprehendisse, cum dixit, se quotidie similia perpetrasse.

*Suntne etiam circumstantiæ peccatorum necessariò confitendæ?*

*Questio  
XVII.*

**T**Riplices sunt circumstantiæ. Quædam minuunt peccata, aliæ aggrauant; aliæ verò, quæ nec grauant, nec minuunt, quas quidem antiqui non vocant circumstantias, vt diu nocturne peccare neq; eleuat neque auget peccatum.

*Responsio.*

Primi generis circumstantiæ si tales sint, vt faciant ex peccato mortali veniale; vel ex peccato, non peccatum, confitendæ sunt necessariò; aliàs committeretur mendacium. Vt si quis ex ignorantia inuincibili in incertum iaculando, vel cum tutamine inculpatae tu-



### Caput III. De Qualitate

Confiteri  
tanquam  
peccatum,  
quod non  
peccatum,  
mortale  
est.

ta tutela se tuendo occidisset hominem, in Cōfessione simpliciter diceret: Feci homicidium; confiteretur tanquā peccatum id, quod non est peccatum, atque ideo peccaret mortaliter. Et pariter, si quis extrema necessitate pressus, panem alienum rapuisset, non debet dicere simpliciter; Furatus sum, sed coactus fame & inopia, panem surripui, quæ rationem culpæ tollit. Sicuti etiam, qui citra necessitatē, non nisi obulum surripuit, quod non est nisi veniale, non debet dicere simpliciter, furtum feci; nam hoc, genere suo, sonat mortale, cū tamen propter materie tenuitatem fit veniale factum.

At de huiusmodi circumstantiis, quæ non tantopere excusant, ut faciant mortale veniale, vel peccatum non peccatum; ut egestate furari, passione machari: Dicunt aliqui, rectius eas prætermitti, quam commemorari: Attamen, si verè multum excusant, confiteri eas conuenit; quia vnum furtum, potest esse in duplo peius, quàm aliud; & stuprum per libidinem admissum multo peius est, quàm ex timore mortis. Tales igitur circumstantiæ confitendæ sunt, non ad excusanda peccata delictaue; sed ad cōfitemdum ea purè & nudè. Exempli gratia; si puella graui inopia oppressa, aut mortis metu, ut periclitanti vitæ succurreret, inuenem admittit; licet peccatum mortale sit; potest tamen suæ famæ, & honori consulere; dicendo



cendo causam, quæ turpitudinem suam aliquo modo excusat.

Pariter, si quis putans se benefacere, furtum fecit, quod pauperibus largiretur, aut si peieravit, ut vitam seruaret Regis: Ut enim in Ecclesiastico admonemur, Cura habenda est de bono nomine, salua Confessionis veritate. Eccli. 41.

*Suntne circumstantiæ peccatorum  
aggrauantes, necessario con-  
fitendæ?*

*Quæstio  
XVIII.*

**C**ircumstantiæ peccatum aggrauantes in duplici differentia sunt: Quædam enim aggrauant quidē peccatum; sed tamen speciem non mutant: Ut si quis furatur vel decem, vel centum, vel mille, & tales non sunt necessario confitendæ; quia nullo iure Diuino, nec humano ad id tenemur, quod patet; quia hæc iura non obligant peccatores, nisi ad Confessionem omnium peccatorum mortalium; Sed circumstantiæ multum aggrauantes non sunt peculiaria peccata lethalia, cum speciem non mutant: Quare licet haud parum aggraent, eas confiteri necessarium non est. *Responsio.*

Præterea, si necessum foret eas confiteri, teneremur quoque eas scire, haud secus atque peccata mortifera; At istud est valde durum, atque indoctis propè impossibi-